

audientia denegatur. Sæculares Principes, qui jurare nolunt de Ecclesia contra hæreticos defendenda, excommunicantur, et terræ eorum supponuntur interdicto. Civitates verò ipsorum resistentes, aliarum commercio et episcopali dignitate privantur: exempti verò subsunt Ordinariis super his, quæ contra hæreticos instituuntur.—

* Ex Constit. Pauli V. *Romanus*, revocata est facultas Prælati Regularium concessa cognoscendi causas ad S. Officium pertinentes; eisque præcipitur sub pœnis excommunicationis Papæ reservatæ, aliisque in hæreticorum fautores latis, ne retardent denunciationes contra suos Religiosos hæreticos vel de hæresi suspectos Inquisitoribus vel vicinioribus locorum Ordinariis faciendas. **

10. *Vergentis*.—Bona hæreticorum confiscantur et in terris Ecclesiæ applicantur Fisco Ecclesiæ: in terris Imperii Judicis sæcularis Fisco: et procedit etiam si catholicos habent filios.— Vide infra cap. *Quicumque* 2., et cap. *Statutum* 15. in 6. et cap. *Cum secundum* 19. hoc eod. tit. **

11. *Si adversus*.—Advocati vel notarii hæreticis vel eorum defensoribus faventes, aut sub eis litigantibus patrocinantes, et pro eis instrumenta scribentes, infames sunt, et ab illo officio suspensi.

12. *Cum ex injuncto*.—Laici non prædicent, nec occulta conventicula faciant, nec Sacerdotes reprehendant.

13. *Excommunicamus*.—Excommunicati sunt omnes hæretici quibuscumque nominibus nominentur.— Vide ampliacionem Elench. III. n. 47. **—Damnati de hæresi, per secularem Judicem puniuntur; et bona laicorum hæreticorum confiscantur; et Clericorum bona applicantur Ecclesiis, ubi beneficiati erant. Si suspectus de hæresi se non purgat, arbitrio Superioris excommunicatur: et existens per annum in excommunicatione, ut hæreticus damnatur.—Potestates sæculares perpetuæ vel temporales jurare tenentur universos hæreticos ab Ecclesia damnatos pro viribus exterminare: et temporalis Dominus non purgans terram suam hæreticis, excommunicatur; et si perstiterit in excommunicatione per annum, nunciatur Papæ, qui fideles ejus à juramento absolvit; et ejus terram fidelibus exponit, salvo jure principali domini; nisi et ipse sit in culpa. Cruce signati ad exterminacionem hæreticorum, gaudent privilegio concessio Cruce signatis in subsidium Terræ Sanctæ. Hic ponitur pœna credentium, receptorum et defendentium hæreticos, laicorum et Clericorum. * Vide infra cap. *Statutum* 15. Circa pœnas in hos vide Constit. Innoc. IV. *Inconsutilem*; *Ad extirpandam*, et *Noverit*: Pauli IV. *Cum ex Apostolatu*; ac S. Pii V. *Si de protegendis*. **—Nullus debet sibi officium prædicandi assumere, nisi super hoc sibi à jure vel à Sede Apostolica, vel à diocæsano Episcopo licentia concedatur; aliàs excommuni-

10 Inn. III. Cler. consul. et pop. Vi-

11 Idem Regi Arag.

12 Idem Christifidelib. et in Urbe et Dioec. Meten.

13 Idem in Conc. gen. Lat.

catur; et nisi resipuerit, alia pœna imponitur.— Vide Trident. sess. 5. c. 2. et sess. 24. c. 4. de ref. **—Archiepiscopi et Episcopi inferiorum suorum Provincias et Dioceses suspectas habentes de hæresi, saltè semel in anno per se vel per alios visitent: qui etiam debent, si expedire videbitur, exigere juramentum ab illis de vicinia ad revelandos hæreticos; et occulta conventicula celebrantes; quos revelatos, relapsos canonicè punient; et renitentes jurare, ut hæretici condemnentur. Episcopus negligens in hæresi persequenda, à dignitate episcopali est removendus, et alius est subrogandus.

14. *Sicut*.—Summa ut cap. *Cum ex injuncto* 12. supra.

15. *Excommunicamus*.—Prima pars hujus cap. summatur ut in principio c. 13. supra. Si in hæresi deprehensi nolunt redire ad fidem, detrudendi sunt in perpetuo carcere ad pœnitentiam peragendam: et credentes erroribus hæreticorum, hæretici sunt.

16. *Absolutos*.—Liberantur ab omni obligatione, qui hæreticis tenebantur adstricti.

IN SEXTO.—Ibi tit. II.

Cap. 1. *Quoniam*.—Propter crimen hæresis clericum in quibuscumque sacris Ordinibus constitutum solus ejus Episcopus degradare poterit.— Vide ampliacionem Elencho II. n. 162. **

2. *Quicumque*.—Excommunicationem incurrit sepeliens scienter hæreticos, vel eorum receptores, defensores vel fautores; nec absolvitur, nisi exhumet eorum corpora: locus verò privatur sepultura. Excommunicari debent laici publicè vel occultè disputantes de fide. Non valet promotio hæreticorum, eis credentium, fautorum, receptorum et defensorum eorum, nec filiorum suorum usque ad secundam generationem ad beneficia Ecclesiastica vel officia publica.— Vide infra cap. *Statutum* 15. **—Privati sunt habentes beneficia Ecclesiastica ad preces hæreticorum, et inhabiles efficiuntur ad alia obtinenda, si scienter talia receperunt. Nulla est emancipatio filiorum vel subditorum per hæreticos facta, etiamsi postea vitium detegatur.

3. *Filii*.—Filii vel hæredes petentium in infirmitate sua hæreticorum consolationem, non admittuntur ad probandum, quod ipsi defuncti non sana mente, vel perdita loquela susceperint, si constat, quod erant sanæ mentis, vel si prius suspecti vel diffamati erant de hæresi; aliàs admittuntur, scilicet per testes fide dignos non suspectos.

4. *Super eo*.—Relapsi in hæresim sunt tradendi Curie sæculari, licèt pœniteat eos et ad fidem redeant; non tamen denegantur eis Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ.

5. *In fidei*.—Excommunicati, participes et socii criminis, admit-

14 Greg. X. Arch. Mediol.

15 Idem.

16 Idem.

1 Id. Rhemen. Arch. et Suffr

2 Alex. IV.

3 Id. Inquisit. haer. pravit.

4 Idem iisdem.

5 Idem iisdem.

tuntur in testes contra hæreticos, si sciunt verisimiliter veritatem deponere.

6. *Præsidentes*.—Ordinarii vel eorum Delegati et Inquisitores sine pœna excommunicationis facere possunt executionem justitiæ contra hæreticos, per habentes jurisdictionem sæcularem in loco, licet excommunicati sint, vel de facto tantum illam possideant.

7. *Cum contumacia*.—Excommunicatus propter contumaciam non respondendi super hæresi, de qua erat suspectus, post annum damnatur ut hæreticus.— Vide Trid. sess. 25. c. 3. de ref. "

8. *Accusatus*.—Abjurans in iudicio hæresim propter vehementem præsumptionem, si iterato labitur (licet non fuisset probatum plenè), relapsus dicitur: secus si levis erat præsumptio.—Culpabilis in uno articulo hæresis, generaliter postea abjurando, relapsus dicitur, si committit etiam in alium articulum separatim.—Qui post abjurationem hæresis, de qua convictus fuerat, vel postea vincitur hæreticos receptet, deducat, visitet, associet, munera mittat seu favorem impendat, relapsus dicitur.—Testis in causa hæresis falsum deponens, licet perjurus sit, probat dicendo contrarium, dum tamen ex indiciis constet dictum non corruptionem, sed veritatem continere.—Inquisitores super hæresi deputati, non se intromittant de divinationibus vel sortilegiis non sapientibus hæresim manifestam.—Inquisitores hæresis de quæstionibus usurarum se intromittere non possunt.—Inquisitores possunt compellere hæredes fautorum hæreticorum (qui tamen hæretici non erant) ad implendum pœnitentiam injunctam in bonis temporalibus; secus si mortui sint, antequam fuerit pœnitentia injuncta.—Post mortem hæretici, declarari potest eum hæreticum fuisse, ad finem confiscandi.—Clerici instruentes testes, ne Inquisitores veritatem investigent, puniri possunt per eos, et religiosi gravius puniuntur.

9. *Statutum*.—Non valent statuta, per quæ Inquisitoribus hæresis officium impeditur vel retardatur.— Vide Constit. Innoc. IV. *Ad extirpanda*, et Alex. IV. *Implacida*. "

10. *Ne aliqui*.—Officium Inquisitoris hæresis morte concedentis non expirat, etiam quoad negotia prius non cœpta vel exorta.

11. *Ut officium*.—Informat Inquisitores ad Deum, ut ejus timorem hominum metui antepoñant, in procedendo simul, vel separatim contra hæreticos et suos fautores, et etiam in eos absolvendo, cum verè redierint.— Vide Constit. Urb. IV. *Licet*. —Instruit Inquisitores in modo examinationis testium, et in personis, quæ testificata scribere debeant.— Vide Constit. Alex. IV. *Ne commissæ*, et Pii IV. *Pastoralis*. —Instruit Inquisitores circa personas, per quas impediri posset, vel differri inquisitionis negotium.—Circa Prædicatores

6 Idem iisdem.
7 Idem iisdem.
8 Idem iisdem.

9 Urb. IV.
10 Clem. IV. Inquisit. haer. prav.
11 Idem iisdem.

cum quæstu, de quo in textu, vide correctionem Elencho II. 163. "

12. *Ut commissi*.—Dat Inquisitoribus potestatem committendi citationes et sententiarum denunciationes, vocandi peritos, clerum et populum ut eis assistant, dat potestatem procedendi contra illos, qui de sua in aliam provinciam se transtulerunt, repetendi libros et processus, commutandi et mitigandi pœnas, privandi, et privatos nunciandi officiis et honoribus hæreticos, fautores et defensores eorum; ita tamen quod hoc fiat de Diœcesanorum, vel in eorum absentia Vicariarum suorum consilio, nisi idem scienter talibus beneficia contulissent.— Vide Const. Urb. IV. *Licet*. "

13. *Contra*.—Christiani ad Judaismum transeuntes et redeuntes, hæretici reputantur.

14. *Decrevit*.—Non confiscantur dotes uxorum innocentium propter hæresim maritorum.

15. *Statutum*.—Filii hæreticorum usque ad secundam lineam paternam, ad primam verò maternam, sunt inhabiles ad beneficium Ecclesiasticum, vel officium sæculare, si patres ante mortem Ecclesiæ reincorporati non fuerint.— Vide supra cap. *Vergentis* 10, et cap. *Excommunicamus* 13. §. *Credentes*, et in hoc lib. cap. *Quicumque* 2. §. *Hæretici*. Huic cap. consonat Constit. Nicol. III. *Noverit* §. *Hæretici*. Sed ambæ intelligendæ sunt de beneficiis obtinendis, non de obtentis, juxta declarationem Clement. VIII. relatam à Fagn. in cit. cap. *Vergentis* num. 31. Ex decreto Cong. Conc. 21. Maji 1718, filii hæreticorum, reversis eorum patribus ad Ecclesiæ sinum, irregularitate solvuntur. "

16. *Inquisitores*.—Inquisitor Papæ super hæresi sine speciali mandato non inquirat contra Episcopum, sed si eum culpabilem sciverit, nunciabit Papæ.— Vide Trid. sess. 24. c. 5. de ref. et Const. S. Pii V. *Si de protegendis*. "

17. *Per hoc*.—Non derogatur Ordinariis super processu hæreticorum, licet Papa generaliter alteri deleget. Et super eodem facto Episcopus et Inquisitor possunt procedere communiter vel divisim, vel proferre sententiam, in qua si discordant, debent Papæ referre, et Episcopi qualitercumque procedant, debent servare modum Inquisitoribus impositum.

18. *Ut inquisitionis*.—Episcopis et Inquisitoribus hæresis non resistant, sed omninò pareant Domini temporales, et de eo crimine non cognoscant; aliàs puniuntur.— Ex cap. 13. Bullæ *Cœna* incurrunt excommunicationem Papæ reservatam impediens executionem decretorum Inquisitorum recurrentes ad hunc effectum ad Judices sæculares. Ex decreto S. Pii V. *Sanctissimus*, excommunicantur Magistratus et Officiales fori sæcularis non obedientes Cardinalibus Inquisitoribus generalibus in pertinentibus ad S. Officium. "

12 Bonif. VIII. iisdem.
13 Idem.
14 Idem.
15 Idem.

16 Idem.
17 Idem.
18 Idem.

19. *Cum secundum*.—Bona hæreticorum ipso jure sunt confiscata. Sed apprehensio bonorum fieri non debet per Dominum sæcularem, nisi prius pronunciatum fuerit super crimine per Judicem Ecclesiasticum.— Vide cap. *Vergentis* 10. suprâ, et circa confiscationem vide Sanchez lib. 2. c. 16. n. 25. et 23. "

20. *Statuta*.—In causa hæresis proceditur simpliciter et de plano, et dicta testium et accusatorum non publicantur, si periculum timeatur.— Cum semper præsumi possit hoc periculum, ideo hodie nunquam publicantur; imò ipsis datur juramentum de secreto servando super denuntiatione à se facta. "

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. III.

Cap. 1. *Multorum*.—Ponit constitutionem de officio Inquisitionis exercendo per Dicesanos et Inquisitores, primò ponens quinque, quæ potest alter sine altero; secundò tria, quæ non potest: et decretum apponit submittere, quomodo impeditus, vel interesse nolens, committit alii, vel consentit. Providet circa carceres hæreticorum, ipsorum claves, custodes et custodum ministros. Ponit juramentum custodum, ministrorum suorum et notariorum, et aliorum officialium. Punit Episcopos, Inquisitores et eorum substitutos, qui faciendo vel omittendo delinquant in officio. Confirmat antiqua jura huic Constit. non obvia.

2. *Nolentes*.—Determinat:—1.º Ætatem Inquisitorum.—2.º Punit Inquisitores, qui prætextu officii pecuniam illicitis modis extorquent, vel ob delictum clericorum Ecclesiarum bona confiscant.—3.º Præcipit notariis, officialibus et sociis, ut hoc facientes reprehendant, et superioribus denuncient, si probare possunt.—4.º Prohibet Inquisitoribus ab usum armorum, et circa quantitatem vel qualitatem officialium.— Ex Constit. Bened. XIV. *Ad supremum* 21. Jul. 1755, renovatur privilegium delationis armorum tam defensorum, quàm offensivorum pro sui, sanctique Officii tuitione, illudque extenditur uni ex actualibus eorum famulis, exceptis armis prohibitis in Constit. S. Pii V *Cum vices* 11. Febr. 1572, Alex. VIII. *Et si cuncta* Idib. August. 1690, et Clem. XII. *In suprema* 4 Kal. Febr. 1734; putà pugionibus, cultellis, parvis sicis, alioque armorum genere brevioris mensuræ trium palmorum.—Hæc tamen delatio interdicitur Inquisitoribus regularibus, quos ceteroquin inhibetur eorum superioribus amovere à monasteriis illius loci, ubi Inquisitoris munus exercent sine justa causa et inconsulta Sac. Cong., licèt in ceteris iisdem parere teneantur. "

3. *Ad nostrum*.—Damnatur sectam Beguardorum et Beguinarum Alemagnæ, et octo ipsius errores.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.—Ibi tit. III.

Cap. 1. *Ex eo*.—Declarat cap. *Per hoc* 17. suprâ in 6. bona hæreticorum per Dicesanos usurpari vetans.

19 Idem.
20 Idem.
1 Clem. V. in Conc. Vien.

2 Idem ibid.
3 Idem ibid.
1 Bened. XI. Inquisit. haer. prav.

2. *Vas electionis*.—Damnatur tres errores Magistri Joannis de Poliaci Doctoris Parisiensis.

3. *Cum Mathæus*.—Inquisitores hæreticæ pravitate censuras Ecclesiasticas fulminare non possunt in officiales et Nuncios Sedis Apostol. sine ipsius licentia speciali, sed de eorum excessibus informationem facere possunt, et deinde Papæ significare.

TIT. VIII.—DE SCHISMATICIS, ET ORDINATIS AB EIS.

Cap. 1. *Quod*.—Irritæ sunt ordinationes, beneficiorum collationes, et Ecclesiasticarum rerum alienationes per schismaticos factæ, et à dignitate et ordine suspenduntur, qui schisma tenere jurant.— Vide Auctorem hoc eod. tit. n. 65. "

2. *Fraternitati*.—Ordinatus à schismatico ab officio est repellendus, nisi probet secum fuisse dispensatum.

IN SEXTO.—Ibi tit. III.

Cap. unic. *Ad succidendos*.—Ponit pœnas, quas protulit in Jacobum et Petrum olim Card. Columnenses, filios et posteros dicti Joannis imponit pœnas iis, qui de cetero deliberare dictos Jacobum et Petrum pro Cardinalibus habuerint, vel eis, vel prædictis natis Joann. favorem præbuerint, et jubet similes excessus puniri similibus pœnis imposterum. Vide cap. seq.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.—Ibi tit. IV.

Cap. unic. *Dudum*.—Processus et sententias latas per Bonif. VIII. contra Jacobum et Petrum de Columna tanquam schismaticos et eorum posteros revocat hinc Benedictus XI, exceptis confiscationibus in quibus nihil immutat.

TIT. IX.—DE APOSTATIS, ET REITERANTIBUS BAPTISMA.

Cap. 1. *Præterea*.—Clericus, qui dimisso habitu et tonsura, immiscet se enormitatibus, perdit privilegium Canonis, si quis suadente, et eum deprehendentes non incidunt in excommunicationem.

2. *Ex litterarum*.—Si crimen acolyti, qui rebaptizanti præbuit ministerium, est occultum, promoveri potest; si publicum non, nisi cum eo Religionem intrante dispensetur.— Ex consuetudine et communi DD. sensu idem est de Sacerdote: si casus sit occultus, DD. dicunt dispensari posse ab Episcopo, ex cap. 6. Trident. sess. 24. de reformatione. "

3. *Tua*.—Infamatus de apostasia compellitur se purgare.

2 Joann. XXII. Aven.
3 Idem.
1 Ex Conc. Later. sub Alex. III.
2 Inn. III. Bisunt. Arch.
U. Ponif. VIII.

U. Bened. XI.
1 Alex. III.
2 Id. Abb. S. Genov.
3 Inn. III.

4. *Quidam*.—Baptizati, alterius sectæ, vel fidei ritus dimittere compelluntur.

5. *A nobis*.—Apostatæ incarcerari et affligi possunt, ut habitum reassumant.

6. *Consultationi*.—Monachus in apostasia ordinatus, non potest sine dispensatione Papæ in suscepto Ordine ministrare.

TIT. X.—DE HIS QUI FILIOS OCCIDERUNT.

Cap. 1. *Veniens*.—Mulier occidens spontè filium, debet perpetuò in monasterio pœnitere: si tamen timetur de innocentia, datur, vel saltem non denegatur illi licentia nubendi.— Hodio hæc pœna commutata est in carcerem perpetuum. Vide Auctor. hoc tit. **]

2. *Intelleximus*.—Mulier occidens filium, propter hoc à viro separari non debet; sed alia pœnitentia ei imponitur.

3. *De infantibus*.—Parentes opprimentes infantulos in suo lecto puniendi sunt.

TIT. XI.—DE INFANTIBUS, ET LANGUIDIS EXPOSITIS.

Cap. unic. *Si à patre*.—Infans expositus à patre vel alio, eo consentiente, vel ratum habente, hoc ipso à patria potestate liberatur. Idem in servo, et liberto, qui ob prædictam causam liberantur à dominica potestate. Idem juris est in languidis cujuscumque ætatis sic expositis; vel si eis alimenta denegantur. Qui tamen his alimenta præstiterint, nullum jus in eis acquirunt.

TIT. XII.—DE HOMICIDIO VOLUNTARIO VEL CASUALI.

Cap. 1. *Si quis*.—Homicida incorrigibilis debet deponi et tradi Curiaæ sæculari, ut moriatur.— Vide Additiones meas lib 3. tit. 39. et quoad remotionem ab altari, vide Trident. sess. 14. cap. 7. de reformat.

2. *Interfecisti*.—Ponit pœnitentiam occidentis latronem, cùm se poterat aliter liberare: si verò aliter se non poterat liberare, non tenetur agere pœnitentiam, nisi ad cautelam.— Pœnitentia hinc imposita hodie non est amplius in usu; quam si lubet, videre potes in textu. **

3. *Si perfodiens*.—Non occiditur fur diurnus sine culpa; sed no-

4 Id. in Conc. Later.
5 Hon. III. Arch. Tyren.
6 Idem Arch. Lundun.
1 Alex. III. Tornac. Ep.
2 Luc. III. Paris. Ep.
3 Alex. III.

U. Greg. IX.
1 In Exod. cap. 21.
2 Ex Conc. Aurelian. transl. in Pœnitentiar. Roman.
3 Aug. super Exod. cap. 22.

cturnus sic.— Ex textu clarè infertur non licere occidere furem diurnum pro rebus etiam magni valoris conservandis. **

4. *Cum juramento*.—Sub generali promissione, etiam jurata, non venit illicitum.

5. *Si aliquis*.—Homicida est, qui facit vel dat sortilegia vel venena sterilitatis.— Vide circa abortum in Auctore hoc eod. tit. n. 84. et 91. Pro petenda dispensatione ab irregularitate ob abortum animatum de stylo Pœnitentiariæ debet exprimi, an fœtus sit à se genitus. **

6. *Sicut*.—In pœnitentia imponenda Judex debet attendere circumstantias, ex quibus augetur vel minuitur delictum. Socians homicidam animo occidendi, licet non apponat manum, si tamen ex sua causa mors sequuta est, tenetur fere pari pœna cum homicida. Qui sociat homicidam tantum animo prohibendi, ne impediatur, tenetur paulo minori pœna. Incitans ad homicidium mitius punitur, quam homicida: secus si incitavit ad certum homicidium; nam eo sequuto, tenetur ut homicida. Custodiantes sarcinas occidentium, scientes eos sicarios, non sunt immunes à pœna homicidii. Occupans bona occisi, non tenetur de homicidio, et non sufficit occupanti, quod erogat illa pauperibus; cùm poterit restituere eis, quorum constat fuisse. Participantes interfectores in excommunicatione diversimodè puniuntur juxtà modum participationis. Ponitur pœnitentia Clericorum præstantium prædictæ morti auxilium, consilium, vel favorem.

7. *Presbyterum*.—Homicidium casuale imputatur ei, qui dabat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit.

8. *Continebatur*.—Homicidium casuale imputatur ei, qui dabat operam rei illicitæ, vel etiam licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit.

9. *Latro*.—Homicidium casuale non imputatur ei, qui non fuit in culpa.

10. *Suscepimus*.—Is, ex cujus opera illicita sequitur homicidium, irregularis efficitur.— Hic etiam statuitur circa occisionem furis, quod in cap. *Si perfodiens* 3. **

11. *De catero*.—Dans causam homicidio, irregularis est.— In textu legitur: *Non videtur ad Sacerdotium promovendus*; sed hoc verbum in Legislatore importat juris dispositionem. **

12. *Ad audientiam*.—Summa ut cap. *Continebatur* 8.

13. *Dilectus*.—Homicidium casuale non imputatur ei, qui dedit operam rei licitæ, nec fuit in culpa.

14. *Ex litteris*.—Summa, ut suprâ.

15. *Ex litteris*.—Summa, ut suprâ.

4 Hier. in cap. 14. Matth.
5 Ex Conc. Guarnac. vel Vormat.
6 Alex. III. Barth. Exon. Ep.
7 Idem.
8 Idem Cosen. Arch.
9 Id. Barthol. Exon. Ep.

10 Id. Abb. S. Bened. de Nevia.
11 Idem Lucen. Ep.
12 Clem. III.
13 Idem Ep. Lingon.
14 Idem Meten. Ep.
15 Idem Ep. Bisunt.

16. *Significasti.*—Summa, ut suprâ.

17. *Petrus.*—Non censetur homicida is, quo prohibente, et causam non dante, à consanguineis homicidium committitur.

18. *Significasti.*—Irregularis censetur, qui aliquem lethaliter percussit, licèt ab aliis fuerit extinctus. Idem si non apparet an lethatiter: si etiam percussus ab aliis obiit, et non apparet ex cujus vulnere decesserit. Idem est, si percusserit non lethaliter, si animum occidendi habuit, et ex aliorum vulneribus percusus obierit.

19. *Tua nos.*—Religiosus chirurgiam exercens, si ex ea mors sequitur, irregularis est, etiamsi sit peritus et diligens, et hoc fecerit causa pietatis; sed cum eo post satisfactionem dispensari potest.—Qui Judici sæculari dedit intersignia furis, à quo fuit vulneratus, irregularis non est, licèt ille postmodum occidatur.

20. *Sicut.*—Qui dat causam abortui animato, homicida est; aliàs secus.— Vide cap. *Si aliquis* 5. "

21. *Postulasti.*—Non imputatur Clerico civiliter justitiam petenti de laico, si in hunc Judex exercet vindictam sanguinis.

22. *Exhibita.*—Summa, ut cap. *Lator* 9. suprâ.

23. *Joannes.*—Summa, ut cap. *Dilectus* 13.

24. *Petitio tua.*—Clericus pungnando etiam contra inimicos fidei, si de interfectione alicujus ipsum remordet conscientia, à ministerio altaris abstinere debet.

25. *Quidem.*—Summa ut cap. *Dilectus* 13.

IN SEXTO.—Ibì tit. IV.

Cap. 1. *Pro humani.*—Per assassinos faciens vel tantum mandans aliquem interfici, ipso facto incurrit excommunicationem et depositionem ab officio et beneficio.— Incurrit etiam pœnam perduellionis seu diffidationis (quo verbo utitur textus) perpetuæ à toto populo christiano ipso facto in personam et sua bona, ut tanquam publicus hostis habeatur, ità ut impune à quocumque occidi possit, et ipsius bona conceduntur primo occupanti. Ad exequendum autem hanc pœnam diffidationis opus est sententia declaratoria criminis probata. Thes. verb. *Assassinum* cap. 1. "

2. *Prælati.*—Sine pœna irregularitatis possunt Clerici de suis malefactoribus conqueri coràm Judice sæculari, etiam de criminibus, ex quibus debetur pœna sanguinis; expressè protestando, quòd pœnam sanguinis non intendunt.

3. *Is, qui.*—Mandanti aliquem verberari sequuta mors imputatur.

IN CLEMENTINIS.—Ibì tit. IV.

- | | |
|--------------------------------------|---------------------------------|
| 16 Idem Ep. Paduan. | 23 Idem Ep. et Capit. Veneten. |
| 17 Inn. III. Oscan. et Tirasson. Ep. | 24 Idem Deleg. Presb. Serotino. |
| 18 Idem Abb. S. Tirin. de Malchron. | 25 Greg. IX. |
| 19 Idem. | 1 Inn. IV. in Conc. Lugd. |
| 20 Idem Prior. et Erat. Cartus. | 2 Bonif. VIII. |
| 21 Idem Ep. Selesvic. | 3 Idem. |
| 22 Honor. III. Ep. Ebroic. | |

Cap. unic. *Si furiosus.*—Aut infans, seu dormiens, hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo dic, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem.

TIT. XIII.—DE TORNEAMENTIS.

Cap. 1. *Felicis.*—Torneamenta fieri non debent; et vulnerato in eis conceditur pœnitentia: sed si moriatur, denegatur ei sepultura Ecclesiastica, si accessit animo pugnandi; secus si accessit alia causa, putà, ut debita sibi exigeret.— Vide Auctorem hoc eod. tit. "

2. *Ad audientiam.*—Idem dicit.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANNIS XXII.—Ibì tit. IX.

Cap. unic. *Quia.*—Constitutio Clem. V. in quibusdam Regnis torneamenta inhibens sub pœnis excommunicationis et interdicti hic revocatur; et illi, qui hujus occasione sententias incurrerant, absoluntur.

TIT. XIV.—DE CLERICIS PUGNANTIBUS IN DUELLO.

Cap. 1. *Porro.*—Clericus iniens duellum, sive obtulerit, sive suscepit, deponendus est: poterit tamen Episcopus cum eo dispensare, si mors vel mutilatio membri non sit inde sequuta.— Vide notata in cap. *de presbytero* 1. de corp. vitiat. et ampliacionem Elencho III. n. 48. "

2. *Henricus.*—Irregularis est Clericus, non solum si ipse interficit per se, sed etiam si pugilli ab eo datus adversarium occidat: nec excusat consuetudo: poterit tamen cum eo circa beneficium habendum dispensari.— Ex Const. Pii IV. *Ea que*, duellum committentes incurrunt eo ipso inhabilitatem ad quæcumque beneficia; ideoque Episcopus dispensare nequit. "

TIT. XV.—DE SAGITTARIIS.

Cap. unic. *Autem.*—Excommunicandus est sagittarius et balistarius contra Christianos.

TIT. XVI.—DE ADULTERIIS, ET STUPRO.

Cap. 1. *Si seduxerit.*—Stuprans virginem tenetur eam dotare et ducere in uxorem; et si non vult cum ea contrahere, ultra dotem corporaliter castigabitur.— Vide ampliacionem in Auctore circa hoc et

- | | |
|----------------------------------|------------------------------|
| U. Clem. V. in Conc. Vien. | 1 Alex. III. |
| 1 Ex Conc. Later. sub Alex. III. | 2 Cael. III. vel Clem. III. |
| 2 Alex. III. Ambian. Ep. | U. Inn. III. in Conc. Later. |
| U. Joann. XXII. | 4 In Exod. cap. 22. |

sequens e. hoc eod. tit. n. 103.—Conciliatores, proxenetæ, lenones ac lenæ inducentes masculos vel feminas ad prostitutionem, ex Const. Pauli IV. *Sanctissimus*, perfecto flagitio puniendi sunt capitali pœna: imperfecto verò, perpetuò deportandi sunt in insulam: in cæteris casibus, fustibus cedendi. Ex Constit. Sixti V. *Ad compescendum* 30. Octob. 1586. prostituentes filiam et uxorem etiam puniendi sunt ultimo supplicio: aliaque severa sancita sunt contra alios adulteros, lenones et conjugatos non resipiscentes. Eodem ultimo supplicio ex altera ejusdem Constit. *Volentes* 5 Apr. 1587 puniendi sunt scienter matrem et filiam, aut duas sorores carnaliter cognoscentes, ac mulieres patrem et filium, aut duos fratres ad copulam admittentes. Item qui cum matre, filia aut sorore sua concubuit, sicut et mulier, quæ concubuit cum patre, filio aut fratre. Quæ constitutiones locum habent in statu Ecclesiastico, et quoad ultimum supplicium nostris temporibus numquam reductæ fuerunt ad praxim, teste Ursaja Inst. crimin. lib. 3. tit. 5. n. 46.—Vide notata suprâ lib. IV. tit. 19. post. cap. 3.—Circa meretricum bona ab intestato decedentium, facultatem testandi vide Constit. Leonis X *Salvator* 18 Maji 1520. "

2. *Pervenit*.—Summa, ut suprâ.

3. *Si vir*.—Maritus retinens adulteram conjugem non peracta pœnitentia, particeps est delicti: secus, si egit pœnitentiam, et debet eam, sed non sæpe recipere.—Hoc Gonz. dicit esse de consilio. "

4. *Maritis*.—Maritus propter suspicionem potest accusare uxorem de adulterio, et in accusando præfertur cæteris.

5. *Significasti*.—Ad solam mulieris confessionem asserentis se commisisse adulterium cum Sacerdote, non debet hic puniri, sed sic infamato potest indici purgatio: quam si præstiterit, absolvitur: deficiens verò suspenditur ab officio.

6. *Inteleximus*.—Conjux conjugem de adulterio impetere non potest, si et ipse adulterium commisisse convincatur.

7. *Tua*.—Non debet separari matrimonium quoad torum propter adulterium utriusque conjugis.

TIT. XVII.—DE RAPTORIBUS, INCENDIARIIS, ET VIOLATORIBUS
ECCLESIARUM.

Cap. 1. *De illis*.—Ratione rapinæ sortitur quis forum non sui Judicis, et ab eo poterit puniri, proprio Judice suffragante.

2. *Super eo*.—Manifestus raptor vel Ecclesiæ violator, si restituit, vel de restituendo cavet in vita, in morte ad pœnitentiam et ad sepulturam admittitur: si verò noluit cavere, cum posset, et in morte non

2 D. Greg. Fael. Ep. Sipont.
3 Ex Conc. Arelat.
4 Alex. III. Paris. Ep.
5 Alex. III. Cartonien. Ep.

6 Idem Turon. Arch.
7 Id. Amblan. Ep.
1 Ex Conc. Meld.
2 Eug. III. Univ. Cler.

potest, Clerici ejus sepulturæ interesse non debent: et si intersint vel injungunt pœnitentiam contra hanc dispositionem, deponuntur ab officio et beneficio.—Contra raptores et usurpatores bonorum Ecclesiæ vide Bullam Cœnæ cap. 7. "

3. *Excommunicationi*.—Excommunicari debent qui capiunt vel spoliant fideles ex justa causa navigantes. Excommunicati sunt spoliantes naufragium patientes, nisi ablata restituant.—Ex cap. 4. Bullæ Cœnæ excommunicatio est ipso facto Papæ reservata. "

4. *In Archiepiscopatu*.—Ex Principis delegatione possunt Prælati de raptu et aliis criminibus judicare; pœnam tamen sanguinis infligere non possunt.—In textu habetur, quòd possunt etiam flagellis afficere moderatione adhibita, sed ista verberatio abiit in desuetudinem, juxtâ notata suprâ cap. *Cum fortius* l. de calumniator. "

5. *In litteris*.—Incendarius Ecclesiæ in morte pœnitens, et absolutus in cœmeterio sepelietur, et hæredes compelluntur ad satisfaciendum juxtâ facultates defuncti.

6. *Cum causa*.—Raptus non dicitur ubi volens pro matrimonio abducitur: raptor tamen cum rapta matrimonium contrahere potest; et post consumationem matrimonii alter sine consensu alterius Religionem ingredi non potest.

7. *Accedens*.—Rapta potest matrimonium contrahere cum raptore, ubi datur libera facultas in contrahendo.—Vide correctionem Elencho II. num. 164. etiam quoad cap. præced. "

TIT. XVIII.—DE FURTIS.

Cap. 1. *Qui furatur*.—Qui furatur hominem, et vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur.

2. *Fures*.—Furibus et latronibus in peccato obeuntibus Sacramenta deneganda sunt: secus si in morte eos pœnituit.

2. *Si quis*.—Committens furtum ex necessitate non multum urgente peccat; unde imponenda est ei levis pœnitentia.—Concordat decretum Innoc. XI, quo proscripta est propositio 36. asserens permissum esse furari etiam in gravi necessitate. "

4. *Qui cum fure*.—Non indicans propter lucrum, quod ab eo consequitur, reus peccati est.

5. *Ex litteris*.—Fur occultus potest post restitutionem et pœnitentiam ad sacros Ordines promoveri.

IN EXTRAVAGANTIBUS.—Ibi tit. V.

3 Ex Conc. Later. sub Alex. III.
4 Alex. III. Panormit. Arch.
5 Idem Claromont. Ep.
6 Luc. III. Neuberg. Ep.
7 Inn. III. Cracov. Ep.

1 In Exod. cap. 21.
2 Ex Conc. Trib.
3 Ex Pœnitent. Theod. Arch. Cant.
4 Hieron. super Parab. cap. 29.
5 Alex. III. Crem. Ep.